

muni laude spectatorum ludi theatrales ex celeberrimo Poeta Schiller de parta victoria a praeclaro *Wilhelmo Tell* et de vindicata libertate Helvetiorum habiti sunt. Ad hos spectandos plures Desertinam venerant, inter quos praenobiles *Virgines de Latour* numerabantur. Cum hae Desertinae remansissent, Domini Professores Gruber, Schwarz et instructor musices Hailer sequenti die recreandi causa cum iisdem traha Segnies vecti ac reversi sunt.³⁾ Insuper nobis insciis nominati Domini Professores easdem specie concertum studiosorum auscultandi ad horam septimam noctis in Monasterium invitarunt. Postquam Illustrissimus Dominus de *Latour Petrus Antonius*, illarum avunculus, eis non quidem saltandi, sed musicam audiendi licentiam dedisset, venire promiserunt.⁴⁾ Quo audito Domini Professores inter se et studiosis dixerunt, quando adsunt, eis persuadere volumus, ut nobiscum choreas agant, et statim mensam et subsellia e cella supra museum in peristylum efferri, clavicordium ad fenestram inferri et cellam bene purgari curarunt. Quo facto *Rectorem* petierunt, ut quosdam ex maioribus studiosis finitis studiis et oratione vespertina in dictam cellam venire permittere velit, quam licentiam se dedisse dicitur. Finito completorio Servitor Degonda jussu Professorum me accedens dixit, ei a Professore Gruber mandatum esse mihi dicere, si hac nocte in cella supra museum strepitus fiat, patientiam habeam.⁵⁾ Mihi interroganti, nihil enim sciebam, quid ergo acturi sint, respondit, Praenobiles Virgines de Latour statim Professores accessuras, seque a *R. P. Oeonomo* immediate vinum postulatum iturum.⁶⁾ Abeunte Servitore cogitavi, quid agendum. Quam primum Oeonomus a Servitore audivit, feminas tam tarde in monasterium venire, ivit ad *Rectorem* petiturum, ut hoc impedire dignetur, qui statim dictas Virgines in pago retinendi causa studiosum misit, ast nimis tarde. In commitatu Gruber simul cum *Rosa ac medico Condrau* jam obviam venerunt.⁷⁾ Interim leviter pulsando januam Reverendissimi Abbatis, illum hac de re consulere volui; cum responsum non dedisset, inveni Oeonomum, qui dixit, intentionem Professorum fore, cum nominatis Virginibus choream agere, quod impedire debeamus. Dum colloqueremur, *Gruber* vinum ex pago sibi procuravit. Hoc audito statim Rectorem accessi deprecaturus, ut ad conservandum bonum nomen Scholae ac monasterii studiosos adire Professores non permittat, quod facere promisit. Hac promissione contentus in cellam bene purgatam, ubi clavicordium ad fenestram positum erat, intravi.